

ego vicissim illi amorem, quantum obsequium, & obedientiam debeam. Sanè etiam si millies pro ejus gloria possem sanguinem fundere, & mille annis maximos labores subire, ne millesimam quidem partem vel unus beneficij possem compensare ; quia singularia ejus beneficia sunt infinitæ æstimationis, & infinitum amorem, & obsequium à nobis postularent, si præstare possemus. Verum quia id non possumus, statuam firmiter præstare id, quod facile possum, & quò divina bonitas est contenta : nempe omnia ejus præcepta omni curâ servare, ita, ut potius mortem velim subire, quam aliquod ex illis violare. Deinde totam vitam meam ipsius obsequio addicere, ut omnes meæ cogitationes & actiones ad ipsius gloriam dirigantur.

## C A P U T V.

*Quomodo excitanda contritio de peccatis?*

Contritio duo postulat, nempe dolorem de peccatis, quod divinam Majestatem offenderimus; & propositum seruum emendationis, ut ei placeamus. Itaq; consideranda hinc

hic sunt beneficia divina in nos collata, & nostra vicissim in Deum ingratitudo.

Beneficia considerari poterunt modo supra declarato. Sed in primis expendendus est admirabilis ille amor, quo me ita dilexit, ut naturam meam assumere, & in ea tantos labores & dolores sustinere, tam acerba & indigna perpeti voluerit; idq; eo tantum fine, ut me à peccatis & morte æternâ liberaret, Dei q; filium, & regni hæredem constitueret. Hæc ubi benè perpensa fuerint, considerandum è contrario, quām parum tanto amori, tantisq; beneficijs responderim.

I. Quòd gratias ei, ut pat est, non egerim.  
II. Quòd raro de ejus in me amore & immensis beneficijs cogitaverim: quod magnæ ingratitudinis est signum.

III. Quòd ejus amorem & amicitiam, omnia ejus beneficia, omnia promissa, omnes labores, sanguinem, passionem, & crucem nihili penderim, contempserim, & proculcarim; malens pro re caducâ & vilissimâ adhærere ejus hosti, & sequi consilia hostis, quām parere illius mandatis: quòd infinitæ ingratitudinis & amentiæ est.

IV. Quòd non solum amorem ejus & beneficia